

# JOSEPHUS JOACHIMUS

## GOLDTMANN

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS DIOECESIS SANDOMIRIENSIS

ORDINIS S. STANISLAI I. CLASSIS EQUES.

*Habenus Ande Teophilus Tadeuszowski Ecclesiae parochialis  
in Wola Curata Nobis in Christo Dilecto Salutem in Domino.*

**I**nterest muneris quo suprema Authoritate Nobis imposito fungimur, ut saluti animarum pretioso Sanguine Salvatoris Nostri Domini JESU Christi redemptarum, quantum possumus, in Domino consulamus. Cum itaque his etiam, qui gratia Baptismi per peccatum amissa, se in daemonis potestatem ac peccati servitutem tradidissent, Idem Christus Dominus Noster Religionis Catholicae Institutor et Auctor, in Ecclesia sua remedium contulit, Sacramentum videlicet Poenitentiae; quod quo salubriorem homini post Baptismum lapso miserationis Divinae exhibit medicinam, eo fideliorum Ministrorum suorum accuratioremque exigit diligentiam: quippe qui per Sacramentale Tribunal peccatores Deo reconciliando, non hominum sed Dei peragunt Judicium; hinc sapientissimo consilio in Ecclesia Christi decretum est: quod quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipient, nullum tamen etiam Regularem posse Confessiones saecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo per examen idoneus judicetur: et approbationem obtineat. Nec minori providentia iis omnibus, qui dixerint: Episcopos non habere jus reservandi sibi Casus nisi quo ad externam politiam, atque ideo Casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema dictum est, Concil. Trid. Sess. 14. Canon. 11. Quamobrem *Ipso* per examen idoneo reperto, omnium utriusque sexus Dioecesis Sandomiriensis Fidelium, non tamen Monialium, et citra praejudicium alterius Parochiae, confessiones Sacramentales excipiendi, eosque a peccatis et delictis eorum, quae ei corde contriti, ore confessi fuerint, etiam a Casibus per Consti: Provinc: seu alias quomodolibet Sedi Ordinariae reservatis (Omnibus tamen Casibus Summo Pontifici et S: Sedi Apostolicae, ac Nobis Ipsi specialiter reservatis, in altera paginae praesentis parte descriptis, exceptis) injuncta prius Poenitentibus pro delictorum ratione salutari poenitentia, in foro conscientiae in forma Ecclesiae consveta absolvendi et absolutionis beneficium, si eos dignos in Domino judicaverit, impendendi Authoritate Nostra Ordinaria plenam damus et impertimur potestatem ad decursum *Unius anni* valitaram. Ut autem ministerium isthoc rite perficiat, Habitu Clericali indutus, superpelliceo ac stola ornatus, in Ecclesia nec in obscuris locis, sedem Confessionalem occupando: seque graviter et devote gerendo non modo intentionem purissimam invocato Dei auxilio, ante Confessionum auditionem faciet, sed quoque Poenitentes de summis Religionis Catholicae Capitibus, de Consuetudine in peccando, et circumstantiis speciem mutantibus interrogabit, paratosque Actus per modum quaestionum habebit, quibus fidem, spem et charitatem, dolorem ex motivo supernaturali ac firmissimum non peccandi amplius propositum, in Poenitente, excitare conabatur; attendens non quam multorum, sed quam bene Confessiones excipiat; etiam Libros Theologiae diligenter ac saepe releget, Absolutionemque consuetudinariis aut proxima occasione irretitis, nisi debitum adhibitis cautelis, impertietur. Monemus praeterea; ne dum alias a peccatorum nexibus liberare intendit; Ipse se implicet, illud Salvatoris Nostri frequentius meditando: quid proficit homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Denique, pro recta hujus Sacramenti administratione, omnia alia quamvis hic expresse non praecustodita, quae in Decretis Apostolicis, Constitutionibus Synodalibus sancta sunt, accurate observet; ac ut elapo suprascripto temporis spatio ab excipiendis Confessionibus, nisi gravi mortis periculo instante, abstineat; sed aliam similem exhibito Examinis et Recollectionum sacrarum juxta praescriptum peractarum testimonio, in tempore procuret Facultatem super quibus omnibus conscientiam Ipsi onearamus. In quorum fidem etc.

Datum Sandomiriae die 20 Mensis Iuli Anno Domini 1844



M. Moszczenski *Qualis*

Taksa officiosa 30. Capca  
est foliamenta.

## *Casus Summo Pontifici ac S. Sedi Apostolicae Reservati.*

Omnis in Bulla Coenae Domini quam extra, ut: Simoniaci, absolventes suos Complices extra mortis periculum in quolibet contra sextum Decalogi Praeceptum peccato, sollicitantes ad turpia in Sacris Confessionibus, et alii adhuc Casus Papales reservati, quorum exactam ac persaectam notiam, ex Theologis acquirere oportet.

## *Casus Ipsius Loci Ordinario specialiter Reservati.*

1. Lectio librorum prohibitorum. 2. Comiscentes se carnaliter Judaeis maribus vel foeminis, et famulatus apud eosdem Judaeos ex contractu annuo vel quasi annuo, aut etiam ex pacto constanti inserviendi Judaeis statis temporibus, alias juxta Declarationem in Epist: Encycl: Anno 1808 die 25 Novembr. 3. Clerici, qui Divina Ordini Ipsorum nondum competentia celebrare praesumpserint. Item juxta eand: Declarat: inter Casus specialiter reservatos adnumerantur. 4. Omnes blasphemii, Dei, B. V. Mariae, et Sanctorum. 5. Homicidae facto opere: consilio, vel auxilio. 6. Procurantes abortum foetus animati effectu secuto. 7. Incendiarii dolosi occulti, et omnes ad incendium efficaciter coope- rantes physice vel moraliter.

*A. A. Scaphilo Iasius sacerdos*  
Datur facultas ~~E~~ Poenitentes suos ab omnibus Casibus Papae reservatis etiam in Bulla Caenae Domini contentis tum  
Haeresi, Apostasia et Schismate, his (tribus in utroque foro) tum etiam a Casibus Nobis et Sedi  
Ordinariae prout hic superius expressi sunt, aut quomodolibet alias reservatis absolvendi. Concede-  
ditur quoque facultas Jus petendi debitum amissum restituendi, — nec non Cruces, Imagines, Rosaria,  
Scapularia, ac alia utensilia Ecclesiastica, in quibus non intervenit S. Unctio benedicendi — idque  
Authoritate tam Delegata Apostolica, quam Nostra Ordinaria respective ad decursum Approbationis  
Ordinariae.

2010 RELEASE UNDER E.O. 14176

卷之三

AB17